JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Vartan Gregorian
EIGHTEENTH-CENTURY
BOOK FUND

14774

[illegible]

14774/38399

200 –
FRBM

JCB
18-291

OFFICIVM
S. JOSEPH
SPONSI B. M. V.
CONFESSORIS.
DVPLEX SECVNDÆ CLASSIS.

A Sacra Rituum Congragatione recognitum, & approbatum; de mandato Sanctiſsimi D. N. CLEMENTIS Divina diſpoſitione Papæ XI. in Breviario Romano apponendum, & ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitandum die xix. Martij.

DIE XIX. MARTIJ.
In Feſto ſancti Ioſeph Sponſi B. Mariæ Virginis, Confeſſ.
Duplex ſecundæ Claſsis.

AD VESPERAS.
Antiphona.

JAcob autem genuit Joſeph Virũ Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus. *Pſalmus.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica; & loco vltimi, Pſalmus.* Laudate Dominum omnes Gentes. *Antiphona.* Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Uirginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen virginis Mariæ. *Antiphona.* Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. *Aña.* Joſeph vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. *Aña.* Angelus Domini apparuit Joſeph dicens: Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natũ eſt, de Spiritu ſancto eſt: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.

Capitulum. Prov. 28. & 27.

VIr fidelis multum laudabitur; & qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur. *Hymnus.*

TE, Joſeph, celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti reſonent Chriſtiadum Chori,

RPJCE

Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Caſto fœdere Virgini.
Almo cùm tumidam germine conjugem.
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu ſuperi Flaminis Angelus
Conceptum puerũ docet.
Tu natum Dominum ſtringis, ad exteras
Ægypti profugum tu ſequeris plagas;
Amiſſum Solymis quæris, & invenis,
Miſcens gaudia fletibus.
Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat,
Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
Tu vivens, ſuperis par, frueris Deo,
Mira ſorte beatior.
Nobis, ſumma Trias, parce precantibus,
Da Joſeph meritis ſidera ſcandere:
Vt tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticũ.
Amen.

℣. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ. ℟. Et Principem omnis poſſeſsionis ſuæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exurgens Joſeph à ſomno fecit, ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem ſuam,

Oratio.

SAnctiſsimæ genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine meritis abjuvemur: vt quod poſsibilitas noſtra nõ obtinet, ejus nobis interceſsione donetur. Qui vivis & regnas.

Si celebretur in Quadrag. fit commemorat. Feriæ.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Chriſtum Dei filium, qui putari dignatus eſt filius Joſeph: * Venite adoremus. *Pſal.* Venite exultemus.

Hymnus.

CÆlitum Joſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus benignus
Suſcipe laudes.
Te ſator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis ſponſum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.
Tu Redemptorem ſtabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.
Rex Deus regum, & Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum

Tur-

Turba, cui pronus famulatur
Æther,
Se tibi ſubdit.
Laus ſit excelſæ triadi perēnis,
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

In primo Nocturno, Aña.

Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, vt profiteretur cum Maria. *Pſalm.* Beatus vir. *cum reliq. de Communi Confeſſ. non Pontif. Aña.* Venerunt Paſtores feſtinantes: & invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantē poſitum in præſepio. *Pſalmus.* Quare fremuerunt. *Aña.* Ecce Angelus Dñi apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerū, & matrem ejus, & fuge in Ægyptū. *Pſalm.* Domine quid multiplicati. ℣. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ. ℟. Et principem omnis poſſeſsionis ſuæ.

De libro Geneſis.

Lectio j. *Cap.* 39.

JOSEPH igitur ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſpere agens: habitavitque in domo domini ſui, qui optimè noverat Dominum eſſe cum eo; & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joſeph gratiam coram Domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniverſa, quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Joſeph.

℟. Fuit Dominus cum Joſeph, & dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris, * Qui tradidit in manu illius vniverſos vinctos. ℣. Quidquid fiebat, ſub ipſo erat: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. Qui.

Lectio ij. *Cap.* 41.

PLacuit Pharaoni conſilū Joſeph, & cunctis miniſtris ejus. Lucutuſque eſt ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm Regni ſolio te præcedam.

℟. Eſuriente Terra Ægypti clamavit populus ad Regem alimenta petens. Quibus ille reſpondit: * Ite ad Joſeph, & quidquid vobis dixerit, facite.

℣. Creſcebat quotidie fames, in omni terra: aperuitque Joſeph vniverſa horea, & vendebat Ægyptijs. Ite ad Joſeph.

Lectio iij. *Cap. 41.*

DIxitque rurſus Pharao ad Joſeph: Ecce conſtitui Te ſuper vniverſam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum ſtola byſsina, & collo torquem auream circumpoſuit. Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniverſæ Terræ Ægypti. Dixitque Rex ad Joſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. ℟. Fecit me Dominus quaſi patrem Regis, & Dominum vniverſæ domus ejus: nolite pavere; * Pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. ℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, & comedetis medullam terræ. Pro ſalute. Gloria Patri. Pro ſalute.

In ſecundo Nocturno, Aña. Conſurgens Joſeph accepit puerum, & matrem ejus nocte, & receſsit in Ægyptũ: & erat ibi vſque ad obitum Herodis. *Pſalm.* Cùm invocarem. *Antiphona.* Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto dicens: Surge, & accipi puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. *Pſalm.* Verba mea. *Antiphona.* Accepit Joſeph puerum, & matrem ejus, & venit in terram Iſrael. *Pſalm.* Domine Dominus noſter.

℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Homilia 2. ſuper Miſſus, prope finem.

Lectio iiij.

QVis & qualis homo fuerit beatus Joſeph, conjice ex appellatione, qua, licet diſpẽſatoria, meruit homirari à Deo, vt pater Dei & dictus & creditus ſit; conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ vẽditi in Æygpto, & ſcito ipſius iſtũ non ſulùm vocabulũ fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptũ, innocentiam aſſecutum & gratiam. ℟. Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: * Eò quòd eſſet de domo, & familia David. ℟. Vt profiteretur cum

Ma-

Maria deſponſata ſibi vxore. Eò quòd.

Lectio v.

SIquidem ille Joſeph, fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum, Chriſti venditionem præfiguravit: iſte Joſeph, Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægyptum portavit. Ille domino ſuo fidem ſervás, dominæ noluit commiſceri: iſte Dominam ſuam Domini ſui matrem, virginem agnoſcens, & ipſe continens, fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum: iſti datum eſt conſcium fieri atque participem cœleſtium ſacramentorum.

℟. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. * Et eſto ibi, vſque dum dicam tibi. ℣. Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et eſto.

Lectio vj.

ILle frumenta ſervavit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem vivum è cœlo ſervandum accepit tam ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iſte Joſeph, cui mater deſponſata eſt Salvatoris. Fidelis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilij coadjutorem fidiſsimum.

℟. Cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, vt facerent ſecundùm conſuetudiñe legis pro eo: * Accepit eum Simeon in vlnas ſuas, & benedixit Deum. ℣. Et erat Pater ejus, & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Accepit. Gloria Patri. Accepit.

In tertio Nocturno, Aña. Audiens Joſeph quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre ſuo, timuit illo ire. *Pſalm.* Domine quis habitabit. *Aña.* Admonitus in ſomnis Joſeph ſeceſsit in partes Galileæ: & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth; vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. *Pſalm.* Domine in virtute tua. *Aña.* Erat Pater Jeſu, & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo; & benedixit illis Simeon. *Pſalmus.* Domini eſt terra.

℣. Juſtus geminabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio ſancti Evangelij ſecundùm Mattheum.

Lectio vij. *Cap. 1. c*

CVm eſſet deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Et reliqua.

Ho-

Homilia S. Hieronymi Presb. *Lib. 1. Comment. in c. 1. Matth.*

QVare non de ſimplici virgine, ſed de deſpōſata concipitur? Primùm, vt per generationem Joſeph, origo Mariæ monſtraretur: ſecundò, ne lapidaretur à Judæis vt adultera: tertiò, vt in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit: Vt partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum cum putat non de virgine, ſed de vxore generatum.

℟. Dicit Mater Jeſu ad illum Fili quid feciſti nobis ſic? * Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. ℣. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Ecce.

Lectio viij.

ANtequam convenirent, inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inventa eſt, niſi à Joſeph, qui pœnè licentia maritali futuræ vxoris omnia noverat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non ſequitur vt poſtea convenerint: ſed Scriptura quòd factum non ſit oſtendit.

℟. Deſcendit Jeſus cum eis, & venit Nazareth, * Et erat ſubditus illis. ℣. Proficiebat ſapientia, & ætate & gratia apud Deum, & homines. Et erat. Gloria Patri. Et erat.

Nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, ſi celebretur in Quadrageſima, & de ea ſit comm. in Laud.

Lectio ix.

JOſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, vnum corpus efficitur; & in lege præceptū eſt, non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Joſeph, cùm crimen celaret vxoris, juſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat. Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

& per Horas, Antiphona.

IBant Parentes Jeſu per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemne Paſchæ. *Pſal.* Dn̄s regnavit. *cum reliq.* *Añа.* Cùm redirent, remāſit puer Jeſus in Jeruſalem, & nō cognoverunt Parentes ejus. *Aña.* Non invenientes Ieſum, regreſſi ſunt in Jeruſalem requirentes eum; & poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos. *Aña.* Dixit Mater ejus ad illum: Fili

quid

quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te. *Aña.* Deſcendit Ieſus cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.

Capitulum. Prov. 28. & 27.

VIr fidelis multùm laudabitur; & qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur.

Hymnus.

ISte quem læti colimus fideles,
Cujus excelſos canimus triumphos,
Hac die, Ioſeph, meruit perennis
Gaudia vitæ.
O nimis felix, nimis ò beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Chriſtus & Virgo ſimul aſtiſterunt
Ore ſereno.
Hinc ſtygis victor, laqueo ſolutus:
Carnis, ad ſedes placido ſopore
Migrat æternas, rutilíſq; cingit
Tempora ſertis.
Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adſit vt nobis, veniãq; noſtris
Obtinens culpis, tribuat ſupernæ
Munera pacis.
Sint tibi plauſus, tibi ſint honores,
Trine, qui regnas, Deus, & coronas
Aureas ſervo tribuis fideli
Omne per ævum. Amen.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ipſe Ieſus erat incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph. *Oratio.*

SAnctiſsimæ genitricis tuæ ſponſi, quæſumus Dñe. meritis adjuvemur: vt quod poſsibilitas noſtra nõ obtinet, ejus nobis interceſsione donetur. Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam, Antiphona.

Cùm redirent. *Capitulum.* Vir, fidelis. *vt ſuprà.*

℟. *brev.* Conſtituit eum * Dominũ domus ſuæ: Conſtituit. ℣. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Dominum domus ſuæ. Gloria. Conſtituit. ℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Ad Sextam, Antiphona.

Non invenientes.

Capitulum. Eccleſ. 45.

DIlectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. In fide, & lenitate ipſius Sanctũ fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

℟. *br.* Magna eſt gloria ejus, * In ſalutari tuo. Magna eſt. ℣. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum. In ſalutari tuo. Gloria Patri. Magna eſt. ℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad

Ad Nonãm, Aña.
Deſcendit Jeſus.

Capitulum. *Sap.* 10.

PRofugum juſtum deduxit Sapientia per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorũ, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

℟. *br.* Juſtus germinavit. * Sicut liliũ. Juſtus. ℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Sicut lilium. Gloria Patri. Juſtus germinabit. ℣. Plantatus in domo Domini. ℟. In atrijs domus Dei noſtri.

In ſecundis Veſperis, Aña.
Ibant parentes. *vt in Laudibus. Capitulum, & Hymnus, vt in primis Veſperis.*

℣. Gloria. & divitiæ in domo ejus. ℟. Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Ad Magnificat, Aña.
Ecce fidelis ſervus, & prudẽs, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.

Oratio. Sanctiſsimæ genitricis tuæ. *vt ſuprà 7.*

Deinde fit commemoratio ſancti Joachim Patris B. V. M.
Aña. Laudemus Virum glorioſum in generatione ſua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus. ℟. Generatio rectorum benedicetur. *Oratio.*

DEus, qui præ omnibus Sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filij tui Patrem eſſe voluiſti: concede quæſumus, vt cujus feſta veneramur, ejus quoque perpetuò patrocinia ſentiamus. Per eundem Dominum.

Et ſi celebretur in Quadrag. ſit etiam commem. Feriæ.

VRBIS, ET ORBIS.

AD confovendam, imò etiam augendam Fideliũ devotionem erga S. JOSEPH *Sponſum Beatiſsimæ Virginis Mariæ, ejuſque Cultũ ferventius ſemper promovendum, Sac. RituumCongregatio ſupra impreſſumOfficium cum novis Antiphonis, Verſibus, Lectionibus primi Nocturni, Reſponſorijs, & Capitulis ab Emin, & Rever. Dño. Cardinali Albano in eadem Sac. Rit. Cong. relatum apprcbavit, ac ab omnibus Chriſti fidelibus tã Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, die 19. Martij in Feſto ejuſdem* S. JOSEPH *in poſterum recitati, & in Breviario apponi mandavit; Si Sanctiſsimo Dño. N. viſum fuerit. Die 3. Februarij 1714.*

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de prædictis Sanct. Dño. N. relatione, Sanctitas ſua benignè annuit. Die 4. ejuſdem menſis, & anni.

F. Card. de Abdua.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rituum Congreg. Pro-Secr.

BA700
C3630